



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrium Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

Ad Alexandrum VII. Pont. Opt. Max. Eucharisticon.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

ALEXANDRI POLLINI.

Principis, & nomen latè immortale, decusque,
Majori celebrare sono, grandique memento
Carmine, Mæoniisque modis attollere ad astra.
Divino ingenio, & præsentî numine vates
Quæ dabis, æternùm referens mirabitur orbis,
Et feri assiduè discant memorare nepotes.

A D

ALEXANDRUM VII.

PONT. OPT. MAX.

EUCCHARISTICON.

ME quoque sublimi è folio, PATER, aspicias, unde
Terrarum spatia, & terras obeuntia latè
Æquora despectas, cælumque ac sidera tangis
Arduus, & vigili mundum ratione gubernas.
Nec tua majestas, quod me quoque provida curat,
Deteritur: Phœbi nec lux sese inficit alma,
Senta quod ex alto lustrat loca, & infima tendit
Telluris, manesque adeò penetrare sub imos.
Sed simul emicuit cælo, tristem undique pellit
Squalorem, turpemque situm, nebulasque resolvit.
Atque ubi descendit magis, interiufque repostas
Rimatur latebras, fœtus & munera fundit
Cara magis, pretiosa auri argentique metalla,
Gignit & ardenti rutilos fulgore lapillos.
Haud aliter tu, MAGNE PARENS, quocumque salubres
Advertis radios, mentes animosque serenas,
Speque bonâ, & donis largè præsentibus auges.
Vel mihi quæ longè in tenebris femota jacebat,

A 4

Fron-

Frontis ut aspectu primo recreata beatæ,
 Regalique erecta manu, & decorata benigno
 Munere, vita redit! veterumque oblita malorum,
 Læta tuos inter dum se circumspicit, usque
 Fortunam secura novam, nova gaudia versat!
 Atque utinam illapsu divini luminis, auri
 Vena fluat, nostoque erumpant pectore gemmæ:
 Pulcrior haud inter lauros ederasque virentes
 Cinxerit ambrosios tibi crines ulla corona.
 Nam neque præpetibus superantes aëra pennis
 Me vincant aquilæ, nec dulci carmine olores,
 Nomen ALEXANDRI, laudesque, atque inclyta facta
 Tollere Pierio certantem ad sidera cantu.
 Te verò interea tacitus venerabor, & altè
 Divini ingenii quæ tu vestigia signas,
 Assiduè relegens, memori sub mente recondam:
 Discam aptis si fortè olim tibi solvere grates
 Vocibus, & tua conari, PATER, aurea dicta,
 Aurea, perpetuâ semper dignissima vitâ:
 Deque tuis tibi dona feram te digna, supremi
 Ut facimus sacras humiles ad Numinis aras.

A D

F L A V I U M C H I S I U M
 C A R D I N A L E M.

TU quoque supremo Patruï de fidere fidus
 (Cynthia fraternis clara velut radiis)
 Me tenui grates dicentem carmine, lætis
 Aspectas, Princeps inclyte, luminibus:

Cu-